



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 6. De finibus & bonis Matrimonij

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

tificis dispensatione opus est: quia declaratio Episcopi tantum est, ad remouendum scandalum, nec seruit in foro externo seu litigioso, adeoque casu quo Matrimonium in controversiam traheretur. S. Sedes adiri debet & nova dispensatio pro illo foro obtineri.

## Articulus Sextus.

### *De finibus & bonis Matrimonij.*

1. **D**uo sunt fines primarij Matrimonij post primum peccatum Adami. Prior: procreatio prolis, posterior: remedium concupiscentiæ & illicitæ libidinis: quamvis enim Matrimonium ante peccatum ad solam procreationem prolium à Deo fuerit institutum, benigna tamen Dei dispositione factum est etiam in remediū libidinis, ita ut nullum peccatum sit nuptis, etiam sola vitandæ libidinis causa carnaliter copulari. Patet 1. Cor. 7. v. 9. *Propter fornicationem autem unusquisq; suam uxorem habeat & unaqueq; suum virum, melius est enim nubere quam uri.*

2. Secundarii vero fines Matrimonij sunt,

sunt, educatio prolis, & communicatio mutua ac individua societatis. Quia illi dicuntur fines secundarij, qui ex primarijs ita nascuntur, ut primarij absque illis convenienter consistere non possint, sed procreatio prolis non potest convenienter consistere, absque educatione, neque remedium concupiscentia, absque mutua & individua communis vitae societate, ergo illi sunt fines necessarij.

3. Sub educatione autem comprehenditur, non tantum sustentatio & nutrimentum corporale prolis, ad quam parentes obligantur, sed etiam ejus spiritualis institutio, etiam in ordine ad Deum & salutem. Ita *S. August. lib. de Virgin. c. 12. Habeant* (inquit) *conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honeste, quia licite, quia pudice, quia socialiter procreant, & procreatos pariter salubriter educant.*

4. Sub communicatione mutua & individua societatis, comprehenditur communis communicatio operum, & mutui auxiliij ad oeconomiam familiae, ac onerum Matrimonij supportationem, sine quibus

S

matri-

Matrimonii operationes claudicant, nec bene dirigi possunt. De quibus passim Scripturæ *Tob. 10. ad Titum 2. ad Tim. 2. & alibi.*

5. Bona etiam Matrimonij potissimum tria referuntur, quibus à Deo & natura Matrimonium cohonestatum est, nimirum: proles, fides, sacramentum, quæ quidem vocantur bona, quia matrimonio junctis, quandam bonitatem conferunt, & velut divinæ bonitatis Benedictiones reputantur, de quibus Apostolus *ad Tim. 2.* Loquens de muliere: *Salvabitur* (inquit) *per filiorum generationem, si permanserit in fide, & dilectione & sanctificatione cum sobrietate.* Ubi per filiorum generationem bonum prolis, per fidem & dilectionem, bonum fidei: per sanctificationem cum sobrietate, bonum sacramenti intelligit, quibus tanquam tribus bonis in matrimonio suo, conjuges salvantur. Tria hæc paucis complectitur. *S. August: lib. 9. de ben: ad literam c. 7. Id quod bonum habent nuptiæ, peccatum nunquam esse potest. Hoc autem tripartitum est. Fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum*  
*conju-*

conjugale cum altero aut altera concumbatur: in prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: in sacramento autem ut Conjugium non separetur, & dimissus aut dimissa, nec causa prolis alteri conjungatur.

## Articulus Septimus.

De obligationibus Conjugum de futuro.

1. **O**bligatio est: intentio recta: quæ juxta fines matrimonij in tribus consistit. Nimirum: ut quis Matrimonium contrahat, motivo Conjugalis & individue societatis, ordinatæ ad propagationem prolis, remedium vincendæ libidinis, mutui auxiliij & consolationis, hi enim sunt fines matrimonium rectificantes.

2. Obligatio est: discreta Electio: de qua *Prov. 19. Domus* (inquit sapiens) *& divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie uxor prudens.* Ex quo infertur, non minorem requiri vigilantiam in uxore eligenda, quam in divitijs comparandis, quia cum uxor sit donum Dei, precibus ac consultationibus piis requirenda est. Quod